

finirent. Certo die, quem aut ipsi delegerant, aut arbitri præscripserant, congressi sunt, equites primùm, inde pedites. Non hinc cæca fortuna, (quæ solet alioqui in ejusmodi rebus dominari) sed æquitas potius & virtus exerere suas vires. Nam qui suæ conjugis pudicitiam vita sua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, necato adversario, palàm faciebat omnibus, esse vindicem Deum, qui scelerum impunitatem nõ ferat. Interemptum illum, carnifex pertractum ad patibulum, postea suspendit, quem si vincere contigisset, jam ex Decreto Senatus illa quidem, propterea quod falsò credita fuisset accusasse, flammis objecta, maritus autem eo, quo adversarius, ignominia genere, post mortem etiam affectus fuisset. Victorem eximiis laudibus efferre omnis nobilium turba, & prædicare in eo virtutem. Quin & Gallia Rex, honestissima quadam animi inclinatione minimè permittens egregiè factis honorem suum abesse, præmiaq; , & præsentem illum munere non contemnendo, & certis deinde præventibus, quoad viveret, locupletavit, auxitque, *Frossard. lib. 3. hist. omn. memor. p. 201.* De pœna ejus, qui in itinere publico honestam mulierem per vim impudiciùs contrectat? Vide *Dan. Moll. lib. 3. semest. c. 27.*

ARTICULUS CXX.

Pœna adulterii.

Crimen abominabile adulterium dicit Salomon, Rex sapientissimus, & piissimus, in *Proverbiis c. 6. 28. c. 23. 27. cum seqq.* (vide *August. de civ. d. Dei, lib. 17. c. 20. & Ludov. Viv. ibid. b.*) & meretrices vituperat, *c. 5. 3.* & tamen postea iis adhæsit? Mirandum! sed homo fuit, & errare potuit. Hinc inquit *August. tract. 41. in Iohannem*: Quamdiu vivis, necesse est, peccatum esse in membris tuis, saltem illi regnum auferatur. Nõne Rex David, divino multum testimonio prædicatus adulterium cum Berhsabea commisit, Uriam cum literis ablegavit, ut occideretur, & adulteram duxit, *2. Sam. 11. & ibid. c. Anit. Osiand. Vide Thom. Lans. in Orat. funebri Friderici D. W. p. (mibi) 55. 56. cum seqq.* Hinc verum, quod ait *Philip Comin. lib. 9. comm p. 654.* Qui vivit; fieri potest, ut aut melior, aut etiam deterior evadat. Quare invocandus Deus, ne Diabolo permittat, nos ad immania scelera, & nefanda peccata perpetranda impellere. Habet enim iram magnam, usque adeò, ut, si tantum nocere posset, quantum vellet, aliquis justorum non remaneret, *Cunrad. Dieter. part. 1. Dominicâ Oculi p. 331.* Mirum est, & animadversione dignum, quod à Philone & Hebræorum Magistris passim traditum est; Diabolum Deo permittente (aliter enim officere hominibus nequit, *3. Reg. c. 22. Iob. c. 1. & 2.*) in partes genitales, & concupiscentiam majus imperium & potestatem habere, quàm in reliqua membra. Itaq; allegoricè dicunt, Satanam à serpente portari: per serpentem autem voluptatem, quæ in ventrem incumbit, significari. Ut sagæ possunt aliquem reddere inhabilem ad alicujus, certæque mulieris concubitum, vel ad tempus, vel in perpetuum, permittente Deo, & operan-